

§. 12. Non minus etiam PECTUNCULITÆ & PECTINITÆ apud nos occurrunt, quorum species diversæ magnitudinis inter rariora sua servat, *Excellentissimus GEORG. CRHRIST. TITTIUS, Med. Doct. Comes Palat. Cæsar. & Consiliar. Schwarzeburgicus.* Has species & prope pagum *Gleina* / vulgo *Kleine* in agris collegi. Erfurti etiam occurrunt.

§. 13. Agmen denique claudunt BUCARDITES, à figura sic dicti, veteribus & nonnullis HYSTERAPETRÆ & HYSTEROLITHI, quia muliebri pudendum exprimunt. Meus *Bucardites*, quem non ita procul à fonte notissimo *Fürsten-Brunnen* reperi, nihil aut parum à figura 21. *Tab. IV. Oryktographiæ Baierianæ* differt. Tantum de lapidibus ex transmutatione figuratis.